

# IOANNIS FABRICII MONTA- NI POEMATA.

*Syluarum liber unus.*

*De consulibus Tigurinis lib. primus.*

*De Vivilhelmo Thellio Elegia.*

CVM EPITHALAMIO IO-  
annis Alti Francobergensis.



TIGVRI APVD GESNEROS  
fratres.

Dum procul huc illuc missa tabella venit:  
 Tu iuga nubiferæ superas ventosa Pyrenes,  
 Aut Rhodani celeres remige findis aquas.  
 Quæ te cunq; tamen regio tenet, inuida nobis,  
 Cum perarata meo pollice scripta legis.  
 Siste gradum: dictaq; mihi precor ante salute,  
 Post reliquam dextro numine carpe viam.

## RENATO BIRAGO.

Floribus innatum Boreas detraxit honorem,  
 Nullaq; per viduos herba virescit agros.  
 Hunc tamen effectum Venere aspirante hyacinthum.  
 Accipe, quem nobis culta Napæa dedit.  
 Suave rubet penitus, minio fucatus hybero:  
 Et charites modo non reddit odore tuas.

## Ad eundem

Antra cauernosi super impendentia Pindi,  
 Atq; Aganippeos linque Renate lacus.  
 Ad phoebi laurum citharam suspende bicornem:  
 Est opera Musis satq; superq; datum.  
 Nunc tempus sacrum, multoq; seuerius instat:  
 Non facit ad quosvis tibia lœta dies.

THEODORI COLLINI DE ITI-  
 nere ad montem Utliacum, scripsit hæc  
 admodū adolescens anno 1551.

Nox erat, & curis animalia cuncta solutis,  
 Carpebant somni munera palliduli.  
 Solus ego longas vigilando demoror horas:

Mecum

Mecum sollicita talia mente querens.  
 Certum est Utliacos montes ascendere, certum est.  
 Utliacas prima visere luce deas.  
 Ergo Aurora veni, pulcherrima sola dearum,  
 Titoni croceum linque cubile dea.  
 Tu nitidi genitrix es sola benigna diei,  
 Atq; color nullis te sine rebus adest.  
 Te sine nullae artes, pulchræq; bonæq; coluntur,  
 Vnica Musarum es tu socia atq; comes.  
 Ite soporifer& procul hinc, procul ite tenebræ,  
 Luciferum roseis tu dea profer equis.  
 Dum queror hæc, inuicta nouis dea lutea bigis,  
 Purpuream nitido lumine spargit humum.  
 Corripio è stratis cito corpus, & induo uestes,  
 Atq; Deum precibus rite saluto pijs.  
 Est domus illustris Tiguri, tua Limage iuxta,  
 Littora, uestales incoluere prius.  
 Nunc sacris studijs vñu meliore dicata  
 Hospitio Musas, Fabriciumq; fouet.  
 Hanc peto, quo soci simul ac conuenimus omnes,  
 Protinus Utliacas pergimus ire vias.  
 Penè sed ut ventum est ad summa cacumina montis,  
 Fons ubi perspicuis limpidus exit aquis:  
 Constitimus, Nymphas illic veneramur agrestes,  
 Agrestes Nymphas nam locus ille tenet.  
 Frigora dant rami, flores, muscumq; virentem  
 Præbet humus, fons & dulcis abundat aqua  
 Progredimur, vires herbarum, & nomina monstrat

Fabricius (nostræ dux erat ille viae)  
 Omnia miramur taciti, tum pectore ab imo  
 Ex nobis aliquis talia voce refert:  
 Sit tibi laus æterne Deus, pulcherrima mundi  
 Machina, mirandum te arguit esse Deum.  
 Venimus interea celsa ad fastigia montis,  
 Cuncta ubi prospexitu liberiore patent.  
 En Tigurum iacet hic (patria ò charissima salue,  
 Sospitet æternum teq; tuosq; Deus)  
 Hac in parte situm est Tugium, & preclara Lucerna,  
 Illic in gelida Suitia valle latet.  
 Hi sunt Snellesii colles, ubi candida villa  
 Eminet, & latè vinea culta viret.  
 Postquam spectatum satis est, sua membra sodales  
 Exercent varys lusibus, atq; iocis.  
 Quid memorem lusus, gaudet quibus ipsa iuventa?  
 Dum nondum malas aspera barba tegit.  
 Tempus erat, cum Sol medium conscendit Olympum,  
 Cum sibi frondator prandia grata parat.  
 Illo Fabritij coniunx quoq; tempore nobis  
 Arbor sub patula fercula grata parat.  
 Est lapis Utliaci supremo in culmine montis  
 Impositus, Musis mensa, vel ara bonis,  
 Huc epulis positis, fruimur potuq; ciboq;  
 Delicijs fruimur millibus, atq; iocis.  
 Postquam exempta fames, sitis atq; extincta bibendi,  
 Atq; patri summo gratia dicta fuit.  
 Ecce simul pueros invasit feruidus ardor,

Ludendi

Ludendi alternis rustica verba modis.  
 Decerpunt varios flores, & fronde virenti  
     Fagina quisq; suo sertā parat capitū.  
 Incedunt, veluti magno spectanda theatro  
     Fabula sit, medio seu peragenda foro.  
 Tytire tu patulæ: primum puer incipit unus,  
     O Melibæ Deus: tum puer alter ait.  
 Dic mihi Damæta: post hæc puer incipit unus,  
     Non verum Aegonis: tum puer alter ait,  
 Quo te Mæri pedes, quo te: puer incipit unus,  
     O Lycida viui, tum puer alter ait  
 Et quos præterea docuit diuina Maronis  
     Versus ruricolas dicere Musa viros.  
 Mox ego progredior, velatus tempora ramis,  
     Ceu sacer ipse Maro talia deinde loquor:  
 Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem:  
     Carmina sunt Gallo pauca canenda meo.  
 Quæ nemora, aut qui vos saltus habuere puellas?  
     Cum miser indigno Gallus amore perit.  
 Cætera subiungo, quæ subiungenda fuerunt,  
     Postremo nostros sic ego claudio iocos.  
 Hæc sat erit socij vestrum cecinisse sodalem,  
     Ite domum: Vesper iam venit, ite domum.  
 Applaudunt socij, processit Vesper Olymbo,  
     Protinus & nobis cœna parata fuit.  
 Inde domum tecum petimus, Tigurumq; Fabrici,  
     Optarem tales te duce sepe vias.